



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 139. Pilatus autem cum audisset hos sermones. v. 13.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

conspicuum tuo omnis vivens. Igitur ut valeant virtutes vel infusæ, vel ex frequentatis actibus acquisitæ nobiscum stare, ad Christum omnium bonorum largitorem semper confugiamus, postulantes ab eo, ut merito suæ passionis intercedente in conspectu Dei Patris constemus. Vide etiam Catholicæ quam sint his Iudæis affines nostri temporis Reformati & omnes eorum collegæ à fide Catholica Apostatæ, hi zelum præferunt ingentem Cæsaris, Regum, Principumq; crederes esse homines ex cohorte prætoria, seu corporis custodia, scribunt libros & Tomos pro potestate sæculari, contra Papam contra Episcopos, contra sacerdotes, & quorsum hæc omnia? Prætextu illo confodere nituntur Ecclesiasticos, ut illis exolis factis, & sublati, prædicantes in eorum locum exaltentur? quid deinde? Hoc postea Reges & Imperatores & senserunt aliquoties, & porro experientur, nisi sibi prospiciunt contra illas Apocal 9. coronatas locustas, quæ ex puteo æbyssi per Lutherum aperto emerferunt.

S. 139. Pilatus autem cum audisset hos sermones. v. 13.

Scilicet, si hunc dimittis non es amicus Cæsaris. Trepidavit ubi tamen verè non erat timor: quid enim Imperator Regem hunc curasset, qui solus semper cum duodecim discipulis incedebat, per omnia humilia transiens! Quid Iudæi accusando poterant Pilato nocere! Cum Christus legibus Romanorum non contradixerit, tulerit censum, didrachma solverit, vectigalia non inhibuerit, quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda constituerit, paupertatem elegerit, obedientiam suaverit, mansuetudinem prædicavit. Hoc est verè non impugnare Cæsarem sed adiuvare, quo modo etiam nunc & semper Ecclesia Romana Reges & Principes adiuvit & iuvat. Non ignorabat Pilatus vanissimum esse prætextum illum Iudæorum peritum à Cæsare quia iam informatus erat sufficienter. Attamen quod consensum omnis Pontificij ordinis prospiceret in mortem Iesu mirè propensum, insuper implacabile populi odium, & Iesum esse hominem tam abiectum, ut videretur vermis & non homo, qui etiam sibi ipsi deesse videretur: etiam audierat apud Cæsarem plurimos falso crimine petisse: ideo putavit quod adversus coniuratos Pontifices & populi Seniores pro tuenda hominis abiecti & verè humiliati innocentia fati resistisset: quare hominibus magis, quam iustitiæ placere cupiens, animum eo flexit, ut odio Pontificum inserviret, metuens ne à Principatu injiceretur.

**P**RÓ dolor! Iudæorum & Cæsaris gratiam præposuit iustitiæ, adeoque gratiæ Dei & ecce utramque istinc perdidit Pilatus, & utriusque iram  
*hic*



binc incurrit, nam & à Deo desertus & à Cæsare relegatus est, ut scribit Orosius. Imo tantis irrogante Caio Cæsare angoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsiverit. Ita nimirum omnes qui Deo & iusticiæ contempto, mundo placere volunt, & mundum & Deum perdunt. Sit ergo nobis in exemplum Pilatus iste, qui non consideravit, quod impietas hominem è periculis liberare non solet, sed in eadem aut alia graviora præcipitate; ut edo & exemplo eius iniustitiam non operemur, aut velimus placere, mundo magis quam Deo, ne in eadem vel graviora animæ & corporis pericula incidamus.

§. 140. *Adduxit foras Iesum. v. 13.*

Qui iam dimittendus videbatur ob singularem suam innocentiam teste ipso Iudice Pilato, qui publice sæpe dixerat Pontificibus & populo Iudæorum, nihil in eo se invenire, vel peccati, vel causæ mortis, ad voluntatem modo illorum, qui foris expectabant, tanquam canes rapidi, ad sententiam mortis audiendam adducitur ligatus, fannis & vulneribus undique defœdatus, spinis coronatus, humilis letus per Carpathicos præcedente Pontio Pilato Præside, impietatis suæ ipsomet teste.

**O** Arundinem vento agitatâ! Ecce Dominum Deum tuum anima fidelis tam misere procedentem & immanissimis acutum penis. Quælo, imaginem hanc maxime miserabilem, tam alte nostris imprimamus pectoribus, ut nulla unquam oblivione è nostra memoria deleatur, & ne deleatur ex memoria, adiuventus eam imagine oculis conspicua, uti SS. D. N. Alexander VII. suo exemplo monstravit, qui Colonia vilam olim sacram imaginem hanc Christi sic miserabiliter producti, ab inde An. 1696. Romam ad se mitti voluit, ut quam in sectione calculi habuerat pro solatio, in Pontificatu summo haberet pro incitamento. Sentire etiam licet, Christum Iesum (qui spiritum suum nunquam ab orandi agendique studio relaxabat) dum ministri illum foras ad iudicium ad mortis sententiam traherent, humiliter corde, oculis in cælum ad Deum Patrem erectis obtulisse eidem dignissimum sacrificium Passionis suæ ad conciliandum eum humano generi, his vel similibus verbis.

**O** Pater cœlestis æterne Deus, cœli terræque nec non creaturarum omnium conditor, te oro, te obsecro qui semper me audis, suscipe nunc sacrificium & oblationem unici filij tui, id est accerbissimam Passionem, infontemque mortem meam, quam modo ex amore pro cunctis mundi

scribit